

P V I S

1 6 1 8



- | | |
|--|---|
| I. Conradi Rittershusii Paraphrasis Psalmi XC nuptus die. | |
| II. Beremanni paraphrasis Psalmorum Naturi, 121. 91. 123. 124. | |
| III. Beremanni paraphrasis Psalmorum 22. 16. 09. | |
| IV. Beremanni paraphrasis Psalmi 08. | |
| V. Beremanni Epipemphion Psalmorum 91. 97. | |
| VI. Beremanni Psalmi 104. 0. 19. | |
| VII. Polletari Paraphrasis Prometei Ione | XXIX. Eusebii Johanni Ernesto |
| VIII. Munderphii paraphrasis Ione. | capit. Anhaltino v. Alberto Voite dictus. |
| IX. M. Iacobi Gregorii Ionas. | XXX. Angelii ad Barthelemy de Wschmity. |
| X. Joannis Fabri de Nativitate Christi. | XXXI. Memorie Damolii Diepholdii. |
| XI. N. Theodori de Nativitate Christi. | XXXII. Abrahami Cremeri de preemptione ad Polin. |
| XII. Wiltzeri Ode de Redemptionis Obere. | XXXIII. Propemptica Fyfelio et Cremero dicta. |
| XIII. Optii de Peccatu Christi ad Inferos. | XXXIV. M. Victori, cum renuntiaretq. Rector. |
| XIV. Domarii Heptas simulacra Resurrectionis. | XXXV. Ode Sapphica in Doctores Honoratus |
| XV. Sfortiorib. ubiq. impudentissimis. | Fyfelii & |
| XVI. Trautmanni instructio p. vero Lutherano. | XXXVI. In Magisterii Honore Joh. Cram |
| XVII. Praetorii Epistola Germaniae ad Electores. | XXXVII. Meremanni in honorem Magister |
| XVIII. Moiti & Ruma ad Christianum Pr. Anhalt. | rii Lipsensis XX juvenum. |
| XIX. De reb. gestis Johannis Ernesti Pr. An. | XXXVIII. H. Rostii in Magisterium Haberlandi. |
| XX. Henrici ab Eichen ad Maunicium Typog. | XXXIX. In Magisterium Copenii |
| XXI. Abrahami Cremeri ad Electore Brand. | XL. Bethmanni Herdesiani. |
| XXII. M. Amlingi ^{es. 1701} Statulatio in Natalem | XLI. Christiani Vogleri. |
| Rudolphi Principis Anhaltini. | XLII. Abrahami Theopoldii. |
| XXIII. Moiti in Nuptias Rudolphi Pr. An. | XLIII. M. Copenii Gratiani. ¹⁷⁰¹ in Magister |
| XXIV. Beremanni Ecloga Rodolphus. | XLIV. De Dignitate Consulati Trevesi. |
| XXV. Bromii Nuptis ratis Rudolphi Pr. | XLV. De Dignitate Nuntiatus Gelami. |
| XXVI. Wrsini et N. Jeno Nuptis | XLVI. Apocryporum Politiconum sigula. |
| eiusdem. | XLVII. Nuptis Petri a Jena. |
| XXVII. Parentalia Augusto Electori a | XLVIII. M. Pucmeri. |
| D. Maiore habita. | XLIX. M. Richardi. |
| | L. Wolfgangi Hanen. |

^{vii}
PARAPHRASIS
LYRICA, PRO
phetiæ Ionæ ami-
thæi, F.

Illustri ac generoso Principi ac
Domino, Domino Ioanni Geor-
gio, Principi in Anhalt, Comiti
Ascaniensi, Domino in Zerbst
& Bernburg, Domino suo
clementissimo.

Scripta

à

M. Georgio Poletano, Sueuo.

VVITTEBERGAE:

Anno M. D. XCIIII,

AD CANDIDVM
Lectorem,

Quælibet Hebræi doceat quid linea Ionæ,
Personat hîc Latia sacra Camæna chely,
Hos doctis modulos si viderit illa probari,
Argutum rursus pollice stringet ebur:
Historiæq; typos varios, & mystica promet
Dogmata, Christiadum grata futura gregi.
Candide Lector ades, tu Carmina solus habeto,
Ore niger nigras Momus habebit aues.



Paraphrasis

PARAPHRASIS
PROPHETIÆ IONÆ

Amithæi F. Lyrica.

CAPVT I.

Ionam IEHOVA legat, ispuppi
fugam

Quærens, fretis motis, in vndas
mittitur.

A Cerba sancti fata Viri canam
Quem Cetus alto viscere condidit,
Tres atq; post soles hianti
Reddidit incolumem palato.
O nauigantum sidus amabile,
Rerum Creator Spiritus omnium,
En soluo funes, quæso Ventos
Classibus adde meis secundos:
Vrbs stabat vdi propter aquam Tigris,
Excelsa tangens nubila turribus,
Quam fecerat Nimrodus olim
Assyrij caput esse regni.
Et arx supinis condita rupibus
Sutgebat, Indo fulgida marmore,
Rex vnde subditis tremendus
Iura dabat rigidasq; leges.

A 2

Vrbs

Vrbs ipsa pulcra nobilior situ
Amplisq; muris, & numero Viram,
Templis, foris, stratis viarum
Assyrias superabat omnes.
At hisce quantum pulcior extitit,
Tantum nefando crimine foedior:
Nam turpium plerunq; magnæ
Diuitiæ, scelerum ministræ,
Haud vllus ardor numinis, aut metus
Nec vlla Iuris cura superfuit:
Per ciuitatem nulla virtus.
Nulla fides, pudor, aut honestas.
Astus, libido, luxuries, gula,
Furor regebat barbarus omnia:
Rex ipse se, Regisq; Ciues
Flagitijs penitus dederunt.
Nemo timebat iudicium DEI,
Sed gloriantes nequitia sua
Nullum putabant esse numen.
Numen inane sed esse nomen.
Hæc juncta toruo lumine Rex poli
Cernens ab alto vertice crimina,
Flagrante mox armatur ira,
Et scelerum parat ultionem.
Hostis malorum nam DEVS, & nefas
Per cuncta mundi climita vindicat:
Quicumq; peccat stultus hostem
Martis ad arma vocat Tonantem.
Sed justus orbis nil facit Arbiter,
Nec sæuus iras euomit in malos,
Suos priusquàm per Prophetas,
Exitium fuerit minatus.
Quòd si vocati protinus audiant,
Pruasq; linquant nequitiae vias,

Tunc

Tunc ira cedit, pœna cedit:
Ira DEI breuior minuta.
Proinde Ionam Rex hominum vocat
Lumbis Amithæ progenitum pij,
Fremente tunc & ore clari
Sic tonat ex adytis Olympi,
Exurge Vates ocyus, & tuos
Ad ciuitatem fer Niniuen pedes,
Quæ tota nil est quàm malorum
Colluuia, scelerumq; lerna.
Ingressus vrbis claustra metu vacans
Clamore magno rumpe silentia.
Cunctas & imple mox plateas
Murmure, questibus, ejulatu.
Væ stella mundi, væ Nineue tibi,
Repente culpam ni doleas tuam.
Ad vindicem conuersa IOVAM,
Hei subitam dabis hei ruinam.
Vt namq; fumus surgit in aëra,
Peccata Cœlum sic penetrant tua,
Et putido foetore magni
Ante thronum veniunt Tonantis.
Hæc IOVA seruo iussa dabat suo,
Sicut ministros mittit adhuc suos,
Qui vineam colant Olympi:
Væ tibi qui metis haud vocatus.
Sed ecce IONAS, qui celeri gradu
Mandata tanti Principis exequi
Debebat, infelix magistræ
Iudicium rationis audit.
Hæc inquit: albis tu nitidum comis
Caput periclo jam necis offeres?
Contra superbum verba Regem
Si facis, indomitasq; gentes.

O stulta sacris in placitis caro,
Stultusq; nugas qui sequitur tuas:
An non DEVS suos vel ipso
A Sathana valeat tueri?
Scit illa Vates: sed fatuus putat
Præstare, terras si petat extimas,
Procul DEO proculq; rege,
Quam capitis subeat periculum.
Ergo paternos præcipiri fuga
Agros relinquens, per juga montium.
Reptabat hûc, & hûc, & illûc,
Vt latebras miser inueniret.
Tandem sonoro finitimam mari
Ioppen citatis gressibus attigit:
Tutum putans se si recuruis
Per freta puppibus euolaret.
Res atq; voto cessit: in æquore
Syris onustam mercibus illico
Vidit ratem, cuius magister
Vincula soluere jam parabat.
Huic ille naulum porrigit, & citò
In curua nauis rostra salit pede:
Et infimos quærit recessus.
Iamq; DEV M putat haud videre.
Qualis sequentem Struthio cum fugit
Maurum, frutetis occulit & caput
Totum putans corpus cruentis
A jaculis latitare tutum.
Ah sancte Vates quid facis? an DEO
Acuta nescis lumina vindici,
Citos pedes manusq; longas?
Cuncta videt, penetrat,prehendit.
Polum subintres, en aderit DEVS,
Solum peragres, non aberit DEVS,
Salum

Salum pererres est & illic:
Nil latet à facie Iehouæ.
Is ergo IONAE stultitiam videns,
Abesse ponto quod statuat DEVM,
Ventos aquis immittit omnes,
Vndiq; nauigium petentes.
Hinc Eurus horrens, inde Fauonius
Hinc Caurus illinc bella mouet Notus,
Montes & aduoluunt aquarum
Per freta non leuius ruentes:
Quam si Typhœus sede sua gigas
Moueret Ossam, Pelion ac Athon,
Totosq; robustis lacertis
Volueret herbiferos per agros.
Crepant sonoris transtra fragoribus,
Abrupta malo carbasa decidunt,
Quassata nauis nunc Olympum,
Tangere nunc Erebum videtur,
Apparet ipsa vel pice nigrior,
Stridetq; raucis æthra tonitribus.
Aguas simul pluens & ignes,
Omnia perniciem minantur.
En quanta IOVAE robora, quem tremis,
Quod mundus infra continet & supra:
Miser cui DEVS resistit,
Cuncta creata simul resistunt.
Inuadit omnes horribilis timor,
Demitq; vires ac animos simul,
Oblitus ipse Rector artis
Quo voluit finire nauim.
Restare nullum consilium vident;
Præter sacratas ad superos preces:
Cum cessat humanum, benigni
Incipit auxilium Iehouæ.

Proinde



Proinde mentes & tremulas manus,
Suum leuabat quilibet ad DEVM,
Hic æquoris Deos adorat
Tyndaridas vocat ille fratres.
Sed surda cum sint numina gentium,
Audire sanctas vt nequeant preces,
Nec vt velint iuuare possint
Vota rapit per inane ventus.
Mox tale quærunt effugium necis
(Nam cuncta tentat qui meruit mori,)
Vt multa nauis instrumenta
Proijciant maris in profundum.
Nam si leuarent ponderibus ratem
Minus putabant esse periculi,
Sed acriter sæuire pergunt
Vnda, tonitrua, grando, venti.
Diuina punit quando potentia,
Humana præstat nil sapientia:
Quis est homo dic qui lehouæ
Consilium queat impedire?
Propheta verò nil metuit mali,
Sed membra molli stramine fuderat,
Vtramq; dormiens in aurem,
Sertit enim scelus ante pœnam.
Securitatem Nauta videns Viri
Adit, veterno suscitât & graui,
Heus somnolente, surge, surge,
Heus vigila, remoue soporem.
Nunquid fragores ætheris & maris,
Euriq; murmur stertere te sinunt?
En fracta nauis: ni resurgas,
Iam rabidis eris esca monstris.
Quin nunc ocellos erigis, & tuum
Leuas ocellos pectoris ad DEVM,

Pœnamq;

Pænamq; supplex deprecare
Ne miserè pereamus omnes.
Nos quippe frustra multiplici prece
Aures DEORVM sollicitauimus,
Sed fortior conjuncta virtus
Iuncta valent magis atq; vota.
Tunc ore læto spem simulans bonam,
Conuersus omnes ad socios ait:
Durate fratres jam supremus
IOVA malis dabit hisce finem.
Adeste quæso nomina singuli
Mittamus urnas ocyus in sacras:
Sortitione constituta
Causa caputq; mali patefcet.
Sunt namq; sortes in manibus DEI,
Et rebus aptè conueniunt suis.
Nunc ergo prima quem notabit,
Autor habebitur is malorum.
Et is furenti si dabitur mari,
Factiq; pænas morte luet sui
Vnde furor cessabit: omne
Cessat vbi sua causa cessat.
Salubre cunctis consilium placet,
Mors namq; pallens ante pedes erat,
Hinc eligunt habere sortem,
Quàm gelidam tolerare mortem.
Traduntur urnæ signa, suo timens
Quicumq; tergo cogitat, ah DEVS
Cui prima Sors erit, prima Mors est,
Effice ne mihi prima cedat.
Jonas sinistro stat procul vrceo,
Totusq; mentem membraq; contremit,
Frondes velut, quas hûc & illûc
Acoly mouet aura venti.

B

Stertens

Sterrens sub i mo pectore nam scelus
Vnâ resurgens euigilauerat,
Hinc ille terror atq; metus
Mens sibi conscia, non quiescit.
Sed Rector urnam concutiens probè,
Sortem trahebat fatidicam manu
Educta quæ Ionam, notabat
Hei rabidi maris esse causam.
Sic nil tenebris tam benè conditur,
Seu sit malignum, ceu facinus bonum,
Seu luce factum, siue nocte:
Quin aliquando Deus reuelet.
Hoc tota sortis iudicio cohors
Gessit, Prophetam farier & iubet,
Hæc vnde sit Tonantis ira,
Vnde Noti furor, atq; Ponti.
Quò tendat? & qua venerit à plaga,
Quas jactet artes, vnde genus trahat.
Scuire nec volunt, priusquam
Rem penitus fateatur ipse.
Est grande crimen, grande piaculum,
Non comprobatis si rationibus
Viri necantur innocentes
Ensis acumine, siue linguæ.
Vt ergo Vates in medio stetit,
Metu leuauit deposito caput,
Totumq; circumspexit agmen,
Sic animosior ora soluens.
Cudetur in me jam socij faba,
Quod ergo res est fortiter eloquar,
Hebræus excellens ab Hebro
Duco simul genus atq; nomen.
Cultu potentem deueneror Ionam,
Super corusco qui residet polo,

Et

Et aureo sceptro refulgens
Alta regit, regit & profunda,
Illius olim Seruus ego bonus
Oracla multos ad populos tuli:
At nunc eheu tanti rebellis
Seruitium Domini reliqui.
Nam dura nuper iussa dabat mihi
Ferenda Ciues ad Nineues malos,
Verum recusans illa fugi
Ah miser, ah miser, has in oras.
Ut sæpè contra frena tenax equus,
Virum iubato tergore deiecit,
Liberq; iam loris aperta
Præcipiti petit àrua cursu.
Hæc verba mœstis cum faceret Viris,
Horrendus omnes corripuit timor,
Tantum Deum tremunt & ipsi,
Quem pelagus tremit atq; ventus.
Et cautiore postea redditi,
IONAE periclo semper eum colunt:
O si malos omnes pericla
Sic facerent aliena cautos.
Tunc vnus audax præ reliquis ait:
Quis ergo demens te rapuit furor?
Tantum quod implet vniuersum.
Ut fugeret, malesane, numen.
Jam digna tanto præmia crimine
Capesse, sortis quisq; faber suæ:
Te perdis ipsum, nosq; perdis,
Ni maris ira cirò residat.
Quid ergo dicis, quid fieri velis,
Ut iam remittant seruitiam freta,
Saluisq; nos tandem carinis
In patrias reuehamur oras.

B 2

Hi



His ille forti talia pectore
Subjecit: adsum quem mare postulat,
Quin nunc adeste, meq; solum
Mittite præcipitem sub vndas:
Tunc mox silescent murmura lapygis,
Ponetq; sævas Oceanus minas,
Me propter irascuntur vnum
Cuncta: Deus, polus, vnda, venti.
Et sancta peccant corda, sed illico
Culpam fatentur, nec fugiunt crucem.
Humana sunt errare, labi,
Dæmonicum mala non fateri.
His ille mentes permouet omnium,
Vt esse dignum morte nefas putent,
Seruum DEI quamuis nocentem
Si tumidas jacerent in vndas.
Proinde toto corporis acriter
Nisu propellunt remigijs ratem,
Omnesq; strenuè laborant,
Vt virides redeant ad oras.
Labor sed omnis perditur, omnia
Aduersa nauem prorsus agunt retrò:
Iratu obstat ipse IOVA,
Nil prohibente DEO secundum.
Vt ergo tandem nil reliquum spei,
Nullumq; cernunt effugij locum,
Tollunt suos ad astra vultus,
Hasq; preces adhibent Tonanti.
Vides Hebræi jam populi Deus,
Quod hîc salutis specula nulla sit:
En prora jam jam mersa phocis
Pabula nos faciet marinis.
Sed ecce Ionas ipse professus est,
Se propter ortum, per mare turbinem

Quod

Quod fugerit tuos IEHOVA,
Puppe vias faciens, ocellos.
Quin corpus vt, nunc ipse iubet, suum
Spargamus altos in pelagi sinus,
Vt sæuiens quiescat Eurus,
Et rabiem maris vnda ponat.
Projectus ergo iam bibet æquora
Infantis atq; sanguinis, ah DEVS
Haud esto vindex ipse sic vult,
Ipseq; sic meruisse dicit.
Et forsan ipsi sic placuit tibi,
Qui cuncta nutu nempè regis tuo,
Fac ergo ne funesta nobis
Fata tui noceant ministri.
Has ore postquam finierat preces,
In rostra naus constituunt Virum,
Qui tristis intuens Olympum,
Flagitij veniam precatur.
Multisq; cum iam fletibus & prece
Fremetis iram sustulerat DEI:
(Nam nil opus necem paranti
Quam placidos habuisse Diuos.)
Tum nauta fortis mox medium rapit,
Et turbulentum deijcit in mare,
Qui ceu ruens de monte saxum
Mole graui labat in profundum.
Vix atq; cæcis mersus erat vadis
Sternuntur Austri, sternitur & mare,
Nubes recedunt, fulget axis,
Cuncta fauent, DEVS, astra, Thetys.
Sic quando flammis, ense, rota, cruce,
Tolluntur vsquàm de medio mali,
Tunc ira tollitur IEHOVAE,
Tollitur exitium bonorum.

B 3

Nam



Nam sæpè lapsis manibus integræ
Urbes ob vnum dispereunt malum:
Tantum DEVS, natura, cœlum,
Omnia sunt inimica noxis.
Hæc tanta cernens vecta cohors rate
Deos relinquunt protinus & Deas,
Quas prisca finxerat vetustas,
Atq; DEVM metuunt IEHOVAM.
Illiq; flauo thure litant, pijs
Et grata labris carmina concinunt.
Quod post minas, ventos amicos,
Post pluuias dederitq; sudum.
Sic dum recusat visere mœnia
Propheta, Nimrod quæ posuit Pater,
Conuertit ecce nauitarum
Inscius ad Dominum cateruam.
Nam sermo IONÆ non sine fructibus
Resurgit altis ætheris ad domos:
Vt absq; fructu vere primo
Nullus ab æthere stillat imber.

CAPVT II.

A pisce Ionas haustus inuocat
DEVM
In littus & Ceti gula refunditur.

SED ecce mirum iudicium DEI,
Stræctare sanctos vt soleat suos,
Dammis priusquàm liberare,
Damina solet cumulare damnis.
Videt Prophetam fluctibus obrutum,
Iam penè lethi ceruere lumina,
Nec porrigit manum, labantem
Gurgitis trahat ex abyssis.

Quia

Quin majus affert supplicium Viro,
Grandiq; pristim corpore præparat,
Ut squalido rostro præhensum,
In tumidam citò mergat aluum.
Ut piscis omni jam vacuus cibo,
Tàm lauta ventris pabula conspicit,
Exultat & tremente cauda
Marmore sub refluxente ludit.
Tum vasta pandit guttura cominus,
Ionamq; bolo deuorat vnico.
Et per gulam tardè vultum,
Visceribus madidis recondit.
O quanta virtus, quanta potentia
DEI, marinæ quem trepidant feræ,
Repente dictis, audientes,
Solutus homo Domino rebellis.
Propheta paruo corpore turgidi
Patente ventris carcere delitet,
Ut Troglodites, cum sub amplo
Fornice clauditur, aut Acanthis.
Miratur arcus nunc stomachi cauos,
Dorsiq; longos & laterum trabes,
Nunc faucis anfractus opacos
Prospicit & camerata colla.
Feræq; metu pro vario miser
Sursum deorsum labitur in specu,
Ut quassa ventis dormientes
Prora Viros jacet hûc & illûc.
Ter Phœbus vndis extulerat jubar,
Ter atq; Cœlo sydera fulserant,
Dum piscis aluo detinetur,
Sordibus implicitus profundis.
Hunc ergo tandem linquere carcerem
Et solis optans lumina cernere,

DE

De ventre piscis sempiternum
Tali bus alloquitur IEHOV A M.
Sæuis malorum fluctibus obrutus
Fudi IEHOV A E cum gemitu preces:
Intentus aures is benignas
Tristibus applicuit querelis.
Cæcis Auerni sub latebris jacens
Cordis precabar de penetralibus,
Audiuit, & DEVS vocantem
De piccis barathri cauernis.
Projectus à te marmoris in sinum,
Volvebar imi sub vada jurgitis
Totus meum campus aquarum
Oceanus caput obruebat.
Tum cogitabat mens mea languida,
Vultu remouit te DEVS, à suo,
Nec vlla liberationis
Spes superat tibi nec salutis:
Quin nec Sionis templa reuisere
Licabit auro splendida nobili,
Pingues vbi fragrant acerræ,
Starq; sacri sacra cista pacti.
Nam mens aquarum pressa voragine
Nigras adibat merfa ferè domos,
Fundo maris crescens in imo
Alga meum caput implicabat.
Ponti Charibdim lapsus ad infimam,
Profunda vidi semine montium,
Apparet oppilata firmis
Perpetuò mihi terra claustris.
Tandem corusco despiciente polo
Hehoua nigrum jurgitis in specum
Me sospitem potens ad auras
Fluctibus è medijs reduxit.

Mens

Mens plena mœsto cum tremere metū,
Et membra robur deficeret meum,
Mitis recordabar IHOVAE,
Tūm bona me citò spes alebat.
Et mox leuabam splendida lucidi
Ad templa Cœli, cor, oculos, manus,
Vox integrans grauis querelas
Ad Domini veniebat aures.
Hinc ille votis annuit, & mihi
Vitalis auræ lumina reddidit.
Nec interibo, sed redemptus
Nomen ad astra feram Tonantis.
At omnis expers impietas DEI,
Quæ vana mendax somnia diligit,
Aduersa quando sors fatigat,
Deficiens Dominum relinquit.
Rerum potenti non ego turturum
Cruore, voto sed faciam pio,
Et reddita grates salute
Vox mea lara DEO sonabit.
Nam quantus omnis quantus homuncio,
Est præda mortis mancipium stygis,
Solue perennis dona vitæ
Solutus habet Dominus salutem.
Sed vnde lonas hanc sapientiam
Adeptus? vndis hausit ab infimis:
Prudentiam largitur vnda,
Vnda Viros facit esse sanctos.
Nec vnda ponti, sed crucis æquora,
Quibus renati perpetuò natant,
Sanctos ciet crux sancta motus,
Atq; DEO profugos reducit.
His ergo lonas questibus intima
Fregit benigni viscera numinis,

C

Sunt

Sunt machinæ preces & arma,
Quæ Dominum faciunt inermem.
Is iussa monstro terribili dabat,
Vt deuoratum gutture redderet.
Patente corpus atq; saluum
Littore sub viridi locaret.
Quòd Conditori morigerum suo
Mox sultat vndas pectoris impetu,
Ceu prora rostro findit æquor
Fortibus acta Virum lacertis.
Et jam volutum littus ad herbidum,
Distendit antrum gutturis horridum,
Eructat & collo madentem
Cæsarie sub humum Prophetam.
Ceu paruus alis Trochilus humidis,
Post deuoratas faucis hirundines,
Hiantis euolat sub auras
Sæue, tuo, Crocodile, collo:
Sic ecce tandem Rex hominum pios
Post visa cæci marmoris infima,
Ad atheris lumen reportat,
Mergit aqua crucis, & reducit.
Fortunã si quem fluctibus obruit,
Et ceu malorum viscera comprimit,
Durato fortis & memento,
Post tenebras jubar exoriri.

CAPVT III.

Tandem Nino Ionas ruinam
nunciat,
Penis sed illa penitens absoluitur.

In

IN orbe nulli certa fides Viro,
Homo sed omni tempore fluctuans,
In singulas mutatur horas,
Vera modò, modò falsa dicit.
At talis haud est Conditor ætheris,
Sed sempiternum polliciti tenax
Ratum facit, quodcunq; dicit
Confilium, neq; mutat vnquam.
Hic ergo Ionam Sole sub aureo
Siccare longas conspiciens comas
Suasq; tristi mente clades
Et varios reputare casus,
Repente Coeli culmina deprimens
Totum corusco lumine circuit,
Ruptisq; nubibus priora,
Sic iterans tonat ore iussa:
Exurge tandem si sapis, & citò
Ascende magnam nunc Nineuen gradu
Quæ tota voluitur nefando
Crimine, sicut olens luto Sus.
Totumq; complens planctibus oppidū
Oracla prauis pandito Ciuibus,
Quæ scilicet pronuncianti
Nostra tuæ dabit aura linguæ.
Vix IOVA tales finierat sonos,
Cum prima Vates post mala cautior,
Repente surgit nuncupatam
Curriculo properans ad Urbem.
Qualis recuruos, in quibus hæserat
Columbus, vngues accipitris timens,
Post territus stridore pennæ
Vel minimam fugitat volucrem.
Canum securi vel laqueo caput
Cervice mauult protinus eripi,



Quàm iussa posthabere IOVAE,
Ictus ab angue sapit colonus.
Proinde cursu præcipitans viam
Tandem Syrorum jugera contigit,
Et inde magno cum stupore
Magnificam speculatus Urbem,
Nunc arduarum culmina turrium,
Nunc Urbis amplum suspicit ambitum,
Nam nemo circumibat ante,
Quàm ter abiret ab axe phœbus.
At nec superbas marmore januas,
Nec magna curant agmina Civium,
Portas subintrat & per ampla
Compita curritat hâc & illâc.
Lassoq; partem jam pede tertiam
Eminus Urbis constitit in foro,
Altaq; diffusas per auras
Horrida ceu tuba voce clamat:
Væ stella mundi, væ Nineue tibi,
Repentè culpam ni doleas tuam,
Ad vindicem conuersa IOVAM,
Hei subitam dabis hei ruinam.
Vt namq; fumus surgit in aëra,
Peccata Cœlum sic penetrant tua.
Et putido foetore magni
Ante thronum veniunt Tonantis.
At hic odores ferre nequit malos,
Nam pura mens est, puraq; flagitat
Virtutis olfactare thura,
Spurcitiem scelerum repellit.
Nunc ergo postquàm Sol decies quater
Curram rubenti tinxerit æquore,
Hei funditus peribis, hei hei
Fulmine tacta rues ad orcum.

Sic ilel



Sic ille scissis exululans comis
Excurrit omnes Urbis in angulos,
Et clamat hîc & hîc & illic:
Væ tibi, væ, Nineue, peribis.
O magne Vates siccine barbaris
Audes ruinam pandere gentibus,
Nec Regis extimescis iram,
Nec populi metuis furores.
Diuina fortes vis animos parat,
Qui iussa sancti dum peragunt DEI,
Non respuant vel mille mortes
Ferre rota, gladio vel igni.
O tanta seruis, ô vtinam DEI
Effet per orbem nunc animositas,
Dum labitur mundus gehennæ
Per caput atq; pedes in antrum.
Pleriq; sed jam sunt taciti canes
Frænata quorum rostra niger stygis
Venator, vt latrare cessent,
Aureolis religat capistris.
Et sunt obesis corporibus canes,
(Non Musa fingit sed queritur DEVS,)
Qui nec cibo nec ære possunt
Multiuolos saturare ventres.
Nec dente mordent aut abigunt lupos,
Sed dormientes perpetuò, gregem
In montibus sinunt vagari,
Atq; feris fieri rapinam.
Indigna gestant nomina, rectiùs
Bachi ministros & Veneris voces:
Potant, amant, ventres saginant,
Hoc opus, hic labor vsq; & vsq;
Sed ecce lonas non ita mutus est,
Is ampla pandens guttura, nobilem,

Exclamat horrendum per Urbem:
Ah dolor, ah Ninos interibit.
Hoc eulatu territa Ciuitas,
Hinc inde densis agminibus ruit,
Passimq; circumfusa tanti
Ora Viri cupit intueri.
Ut cum cadauer fortè vident agris
Corui, frequentes vndiq; conuolant,
Exercitu planè regentes
Frugiferos crocitante campos.
At ille cœptos ingeminans modos,
Cunctis pauorem mentibus incutit,
Ciues repentinam perhorrent
Attoniti Nineues ruinam.
Ratumq; credunt augurium Viri,
Ipsaq; dictum voce putant DEI,
Quisquis fidem negat ministro,
Ille negat Domino ministri.
Sed peruicaces audierant DEVM,
At pænitentem perdere neminem,
Et bullula fugaciorem
Numinis esse sciunt furorem.
Hunc ergo votis vt citò leniant,
Vertens & omnes in melius minas,
Parcat IEHOVA Ciuitati,
Lenibus aspiciens ocellis:
Repente Matres atq; Mares fame
Totam per Urbem viscera macerant,
Nec porrigunt micam iuuentæ,
Voce gemente cibos petenti.
Senes tiaras deripiunt comis,
Longasq; ponunt corporibus stolas,
Et obfiti centone vili
Tempora puluere cana foedant.

Vultus

Vultus puellæ sordibus inquinant,
Vel puriores Sithonia niue:
Coralijs certante rubris
Ore soli feriunt arenas.
Quos antè fulgens purpura vestijt,
Tegunt lutosi membra lacinijs,
Quos antè Vina recreabant,
Iam labium prohibent ab vndis.
Misella pubes facta Patrum sequens
Fletu rigabat ceu pluuia genas,
Vt vix suis se continerent
In speculis oculi timentes.
Vrbs tota mœstis obruta planctibus
Latè remugit per juga Collium:
Sicut Lupi noctu silentes
Voce replent vlulante Syluas.
Rex ipse celso conspicuus throno
Aurata forti sceptrâ tenens manu,
Ius subditis dicebat, addens
Dona bonis, reprobisq; pœnas.
Is cum repentem perciperet suæ
Vrbis ruinam, perniciem, necem,
Ingente turbatus timore
De folio rutilante surgit:
Et ecce vestes diuite squallidas,
Auro torosis detrahit artubus,
Et crinibus demit refulgens
Splendidulis diadema gemmis:
Turpiq; sacco mox operit caput,
Et totus atro puluere voluitur,
Sacrasq; procumbens ad aras
Flagitij veniam precatur.
En quanta viuus sermo queat DEI,
Mucrone stricto Cor penetrans magis,
Carnem

Carnem necat, sensumq; carnis,
Atq; novos homines refingit.
At pænitendi non modò Rex studet
Exempla praua ponere subditis:
(In Principem Ciues, locatam
In statuam velut, intuentur.)
Seuera sed dat iussa Satelliti:
I Serue totum curre per oppidum,
Et Regis edictum per omnes
Vociferare palàm plateas:
Rex magnus omni præcipit incolæ,
Vt ne quis vllos dente premat cibos,
Sed arceat manus & ora,
A Cereris Bromyq; donis.
Quin nec iuuenos vel puidas Oues
In læta mittat pascua vel Capras,
Nec cum siti fauces anhelant,
Ad porcicos neq; stagna pellat.
Sed quisq; corpus discruciet fame,
Mentemq; votis reddat idoneam,
Ceutardus ad lyras asellus,
Ad sacra prodigus est ineptus.
Omnes superbum ponite muricem,
Et sordidatas sumite pænulas,
Sacci tegant & ipsa bruta:
Propter heros DEVS odit hœdos.
Tristem fauillis spargite verticem,
Versate fœdo corpora puluere,
Vltore nam coram IEHOVA,
Impius est cinis atq; puluis.
Plorate multum plangite, plangite,
Cum mente palmas ætheris ad domos.
Leuate ritè deprecantes
Terribilem Nincues ruinam.

Nec

Nos hei scelesti, nos fuimus mali,
Nos ante vultum, culpa sumus, tuum:
Coelum tuas IEHOVA sedes
Hei pudet & piget intueri.
Sed major omni gratia crimine
Omnes & actus exuperans tuos,
Sperare nos jubet salutem,
Et scelerum veniam rogare.
Ah parce natis, parce Pater tuis,
Auerte nostro supplicium lare,
Post orbitam legis sequentes,
Nomen ad astra tuum feremus.
Hic quando surgit elamor ad æthera,
DEI furorem protinus auferet,
Quem nulla vis nec arma vincunt,
Sola valent superare vota.
Tum pænitebit supplicij DEV M,
Quo nostra duxit perdere mania:
Cum prauus ad DEV M reuertit,
Ira perit, perit atq; vota.
Hæc ille Regis iussa per omnia
Vagatus Urbis compita protulit:
Quæ Ciuitas vltro capessens,
Omnia ceu voluit, peregit.
Fas est tremendis Regibus obsequi,
Si cum IEHOVA Ciuibus imperent:
Quod si jubent contra IEHOVAM,
Rex animæ magis est timendus.
Hic ergo postquàm vidit ab æthere,
Cum Rege tristes plangere subditos,
Et audijt suis misellè
Cum pueris vlulare Matres.
Turbantur illi pectoris intima
Subitq; mentem commiseratio,

D

Ira

Træ grauis recedit æstus,
Et patrij redeunt amores.
Nati Parentem ceu miseret sui,
Iniquitatis cum veniam petit:
Sic pænitens coram Tonanti
Impius haud patitur repulsam.
Sic parcit Vrbi, parcit & Incolis,
Et stare muros longiùs efficit:
Mores scelesti quando mutant,
Mutat & ipse IEHOVA mores.

CAPVT IIII.

Aegrè ferens Ionas DEI clemen-
tiam,

Conuincitur repentè per cucur-
bitam.

Sicut perennes sunt hominum vices,
Nascuntur illi rursus & occidunt,
Sic moenibus nascuntur altis
Rursus & emoriuntur Vrbes.
Vbi vetusti Pergama Dardani?
Vbi Corinthus? dic Babylon vbi?
Tarsus, Tyrus, Carthago, Thebæ?
In cineres abiëre cunctæ.
Sic imminebant funera jam Nino,
Quæ multa prauè secula vixerat,
Sed lacrimis IEHOVA victus
Viuere longiùs hanc sinebat.
Hunc ergo IONAS cum videt impijs
Prædicta muris fata retexere,
Liuiore plenus & furore
Hæc facit ore tumente verba:

Fulgente

Fulgente princeps altior æthere
Sic ergo verbi sic eris immemor,
Sic quem per Urbem fulminavi,
Pondere sermo carebat omni?
Hæc ipsa nostræ causa fuit fugæ,
Quando paternos desererem lares,
Tuos & euitare vultus
Præpete nauigio studerem.
Probè sciebam quod tua latiùs,
Quàm Terra Cœli distat ab orbibus,
Paterna lenitas redundet,
Aequa simul bonis & malignis.
Citò calescens Ira perit citò:
Seruare cunctos perdere neminem
Mens est: malos maus Olympi
Ire sub atria, quàm perire.
Haud ergo quisquàm tam miser omnium,
Quos Sol tuetur primus & vltimus:
Eheu planus vanusq; cunctis
In populis ero circulator.
Ah quæso tristem corpore liberans:
Mentem beatis infere manibus:
Dum talis est heu vita, vitam
Reddere quàm retinere præstat.
Quò mire IONA quò ruis? an miser:
In jus vocabis iusticiæ DEVM?
Sic vilis obgannire puluis:
Audeat æthereo Parenti?
Purgare turpis flagitium fugæ
Non erubescis, nec pudet integræ
Urbi tuam præferre famam,
Visq; mori citò te vel illam.
IONAS columbam leuigenis sonat,
Cui parua fellis tradita portio,

D

Hinc

Hinc blanda mitis atq; simplex:
Vnde sed est tibi tanta bilis?
Sic sæpè sancti post sacra balnea
Fœdo volutant se scelerum luto,
Ceu lota Sus quærit paludem,
Et Canis ad vomitum recurrit.
At murmurantem desuper audiens
DEVS Prophetam leniter increpat:
Quidnam fremis? quid intumescis?
Num tibi iusta videtur ira?
O quàm benignus quàm placidus Pater
Qui ferre tantam stultitiam potest,
Mirum, repente quin repulsum
Fulmine contruderit trifulco.
Aequale si quis labitur in scelus,
Vt Conditorem murmeret in DEVM,
Argilla sicut in Magistrum,
Credat adhuc facilem I EHOVAM.
At ille semper pectore liuido
Expectat altæ perniciem Nini,
Et ne ruinis opprimatur,
Egreditur bipatente porta:
Montis scandit culmina proximi
Sol vnde tollens Oceano caput
Vrbs atq; planis structa campis
Propter aquam poterat videri.
Et cum corusco Cynthia effedo
Inuectus ipsi membra perureret,
Mox cespitem quærens acuto
Gramineam fodit vngue terram.
Tùm fessa tendens brachia de nigra
Frangebat vdos Ilice ramulos,
Aduersus & Solis calores
Parua mapalia construebat.

Ibiq;

Ibiq; molli cespite confidet,
Ninumq; versus lumina dirigit,
Paratus Urbis intueri
Tecta graui ruitura ca su.
Sed IOVA, cuius tota potentiam
Natura mundi cardine contremittit,
Cucurbitam iuxta Prophetæ
Aedicolas facit exilire.
Quæ mox ab imis stirpibus exiens
Lætus in auras se folijs leuat,
Et pendulæ frondosa tandem
Exuperat tegumenta scenæ.
Et huc & illuc brachia dissipans
Totam tabernam frondibus obtegit,
Ionæq; sic refrigerantem
Solis in igne ministrat vmbra.
Is ergo lætus germine nobili
Deponit omnes corde molestias,
Vt gaudet æstuans viator,
Frigidulas vbi captat auras.
At sicut hujus gaudia seculi
Sunt fluxa multis mistaq; lacrimis,
Et post breuem plerunq; longi
Laticiam veniunt dolores:
Sic ille paucas lætus ad horulas
Frondentis vmbra perfruitur casæ,
Nam cum fretis Eos rediret,
Aureolis radians capillis:
Nigrum parauit vermiculum DEVS,
Qui se tenellis implicuit fibris,
Duroq; rodens dente fœdum
Morsibus inseruit venenum.
Quæ sæua rostri vulnera sentiens
Mox arefactis emoritur comis,

Frondesq; Cynthij perustas
Iam radijs in humum reclinat.
Ceu Matris aluo qui modò prodijt,
Infans obesis luxuriat thoris,
Ridet, jocatur, atq; charæ
Gaudia multa mouet Parenti.
Mox ietus atro dente necis, caput
Demittit ægrum: pinguidulæ cadunt
Buccellulæ: color, vigorq;
Ipseq; spiritulus recedit.
Sed Phœbus vt jam flam miserum jubas:
Terris & alto reddiderat polo,
Rerum Creator ex Eo.
Terribilem vocat orbe ventum.
Qui Conditoris jussibus audiens
Repentè magno pronuit impetu.
Vmbra culumq; Vatis omne
Aëreas rapuit per auras.
Mox vstulantes Sol radios Viri
Rectà niuosum proijcit in caput,
Et torridæ facis vel ipsum
Cor penetrante fatigat æstu.
Tunc ille deflens fata cucurbitæ
Exusta magnis membra caloribus
Humi volutat, & priores
Impatiens iterat querelas.
O IOVA tristem corpore liberans
Mentem beatis insere manibus:
Dum talis est heu vita, vitam
Reddere, quàm retinere præstat.
Tum Rector orbis quò temerariæ
Delira linguæ somnia diluat,
Ionamq; falsò judicantem
Iam proprio gladio trucidet.

Quid,

Quid, inquit, ira concitus euomis?
Quid dente frendes? num meritò doles?
Quod frondibus nunc arefactis
Mollis humi jaceat Cicajon.
At ille: quidni condoleam miser?
Dum læsa marcet verme cucurbita:
Quæ tam venustis pullulabat
Caulibus æthereas ad auras.
Quin ipse flagro nunc etiam mori,
Tantisq; finem ponere casibus,
Nam tot malis oppressus Urbem
Linquere quàm superesse malo.
Hoc fulmen alti Rex sapiens poli,
Imum retorquens in jugulum Viri,
Quid ergo, dicit, impudente
Obloqueris labio I E H O V A E?
Si namq; te mouet herbula,
Hæc culta curæ quæ studio tuæ,
Nec aucta, sed surgebat vna
Nocte, simulq; cadebat vna.
An non & ingens me moueat Ninos
Tot paruulorum millia continens?
Qui nesciunt dijudicare
Dextera quæ manus, aut sinistra,
Soluta quorum corcula crimine
Vel sola bile diminuunt meam,
Nam nemini possunt nec audent
Vel pede vel manibus nocere.
Sed vel tenellis stertere cunulis
Solent, & altum ducere somnulum,
Vel ore circum nuda Matrum
Molliter vbera lufitare.
Vel exprimentes verbula blæsulis
Blandum labellis ingeminant tata;

Aut

Aut paruulas habere pupas,
Aut salices equitare gaudent.
At quot per Urbem sunt animalia,
Quorum fauorem simplicitas rueret,
Quæ nec suis vnquam laceffunt
Criminibus Domini furorem.
O magnus ardor, magnaq; charitas,
In pusionum molliculum gregem:
O iusta mens vel innocentes
Perdere quæ pecudes veretur.
Quid ergo IONA iudicium DEI
Audes proteruis carpere dentibus?
Furoris arma tineta felle
Melleq; tineta gerit fauoris.
Cunctis & affert læticiam poli,
Quod si vocati non veniunt mali,
Sæuas fibrans arcu sagittas
Deijcit ad Phlegetontis vndas.
Sin pænitentes à scelerum vijs
Tandem remigrant legis in orbitam
Hos obuijs acceptat vlnis,
Aethereasq; refert ad oras.
O iuste Vindex, ô facilis Pater,
Iacente prima stat Ninos altera
Germana nempe terra, primæ
Par vitijs, pietate dispar.
Passim Prophetæ vociferant tui,
Et imminentes vndiq; nunciant
Pænas graues, graues ruinas:
Sed nil illa videt, nec audit.
Conuerte dulcem tu patriam DEVS,
Conuerfa sacris laudibus, vt tuum
Nomen colat, colatq; Numen,
Tuta minis simul & ruinis. τέλος.

*Id 4212.
8.*

ULB Halle 3
002 391 589




D


So

Ne

Von







^{VII}
PARAPHRASIS
LYRICA, PRO

phetiæ Ionæ am-
thæi, F.

Illustri ac generoso Principi ac
Domino, Domino Ioanni Geor-
gio, Principi in Anhalt, Comiti
Ascaniensi, Domino in Zerbst
& Bernburg, Domino suo
clementissimo.

Scripta

à

M. Georgio Poletano, Sueuo.

VVITTEBERGAE:

Anno M. D. XCIIII.